

cato in ratione injuriæ. Ratio est manifesta, quia gratia est forma dans illam rectitudinem, qua peccatum privat, et ideo adæquat peccati malitiam, quæ est forma opposita ejus privationi; ipsi autem læsioni juris divini, et dehonorationi factæ Deo gratia non opponitur, quia læsio juris divini non est privatio gratiæ, sed privatio ejus, quod debebatur Deo ab ista persona, scilicet a creatura; ergo proportio ista, quæ requiritur inter creaturam offendentem, et Deum offensum, non recompensatur per gratiam, quia et si elevet creaturam, et ordinet ad supernaturalem finem, non tamen ut gravitas offensæ proportionetur, quod consistebat in hoc quod tolleretur jus Dei a tam inferiori creatura, seu persona, sicut est creatura.

XLVII. Et explicatur hoc manifestius. Nam si homo haberet gratiam, et Deus eam illi subtraheret sine culpa, maneretque privatus illa, tunc intelligeremus ad æqualitatem recompensari, et tolli privationem gratiæ per infusionem ejus iterum in subjectum. Sic ergo homo non solum per peccatum amisit gratiam, sed etiam offendit lædendo jus Dei. Ratio est, quia injuria non potest intelligi sine læsione alicujus juris (ut dictum est) quod in principe est jus æquivalens toti multitudini, et in Deo est jus superans totam multitudinem creaturarum, quæ offenso Deo offenduntur. Ad reparationem autem juris læsi, plus pretii, et valoris requiritur, quam ad consecutionem, et exhibitionem talis juris, si læsum non esset; ergo valor procedens a gratia, et charitate nullo modo reparat rationem injuriæ in peccato. Major hujus syllogismi manifesta est, ex diffinitione injuriæ, quæ est læsio juris alieni: ubi non est jus, non est injuria. Minor probatur etiam manifeste,

nam reparatio juris læsi, si perfecta est, et æqualis ex sua natura, et non ex acceptione extrinseca, oportet quod quantum læsum est, et ablatum de jure, tantum replet, et recompenset; reddere autem idem, quod ante læsionem juris reddebatur, non est recompensare, quod læsum est, sed continuare, quod ante fiebat: ergo hoc præcise non est sufficiens valor ad reparandam læsionem juris.

XLVIII. Et patet exemplis, nam si quis existens in dignitate dehonora- vit principem, aut amicus dehonora- vit amicum per hoc præcise, quod iste redeat ad amicitiam, et ille ad dignitatem, licet restituatur id quod ipse amiserat, non tamen læsio principis per hoc solum manet reparata. Et si per impossibile fingeremus alterum Deum, qui ex æqualitate cum Deo tractaret, si ille alter Deus ipsum offenderet, non repararetur læsio juris divini per hoc quod tractaret cum eo sicut ante, sed requireretur, quod humiliaretur ante Deum quem offenderat, et signa majoris reverentiæ exhiberet. Cujus ratio est, quia per injuriam, seu læsionem juris persona offensa deprimitur, et dehonora- tur, et a jure suo cadit respectu ejus a quo offenditur; ergo non sufficit, quod persona offendens tractet cum eo sicut ante, sed requiritur, quod deprimat se, sicut persona offensa depressa est, et tunc erit æqualitas, et reparatio juris. Per hoc autem, quod homo Deum offendit persona infinita depressa est, et in suo jure diminuta; ergo non sufficit, quod exhibeat illum valorem, quo antea conservabat, et reddebat jus debi- tum; sed requiritur, quod aliqua persona similiter divina deprimatur, et humilietur ante Deum, et hoc factum est per incarnationem.

XLIX. Unde probatur consequen- tia syllogismi facti, quia gratia, et

charitas non habet majorem valo- rem in homine post peccatum ad illius reparationem quam antea ha- bebat; ponamus ergo unum homi- nem esse in gratia, ac deinde pec- care, et rursus reddita gratia, unde- cumque reddatur, exhibere ad satis- factionem peccati opera informata gratia, et charitate, probamus valo- rem istum procedentem a gratia non exhibere valorem satisfacien- tem injuriæ peccati. Nam per gra- tiam ante peccatum habitam redde- bat homo Deo jus ipsi debitum, sci- licet habere eum pro fine ultimo supernaturali, et ad eum esse con- versum, recedendo a quocumque alio fine; per peccatum non solum discontinuavit reddere istus jus, sed etiam offendit, deprimendo jus divi- num, et contemnendo ipsum post- posuit creaturæ: ergo quando ite- rum ei datur valor gratiæ superna- turalis, continuat iterum conversio- nem supernaturalem ad eum, et reddit id quod debet, et ante facie- bat: cæterum depressio personæ divinæ, et illa læsio juris alieni irreparata manet. Unde quantum- cumque pœniteat, si valor pœniten- tiæ desumitur ab informatione gra- tiæ, et charitatis, non exhibet ma- jorem valorem, quam exhibebat ante peccatum, et deberet exhibere etiam si non peccasset; insufficiens ergo est ad satisfactionem æqualem pro injuria.

L. Et confirmatur, quia licet homini restituatur totus valor su- pernaturalis, quem per peccatum amiserat, sive gratis restituatur, sive non, tamen non restituitur valor Personæ divinæ, sed persona manet creata, elevata tamen per gratiam ad honorem, quem ante habebat; peccatum autem offendit ex parte objecti offensi, non perso- nam creatam in gratia constitutam, sed Personam divinam; cujus jus lædit, et quam depressit; ergo nisi

Persona divina deprimatur in re- compensam hujus læsionis, et de- pressionis, nihil resarcitur de divi- na, sed solum resarcitur id quod homini erat ablatum.

LI. Et ex hoc apparet, quam diminute processerit pater Vazquez in secunda sententia super relata; ex eo enim quod auxilium, et prima sancta cogitatio nobis est indebita, et si datur solum misericorditer datur, intulit quod satisfactio pro peccato exhibita non est perfecta, quia supponit partem debiti remis- sam. In quo valde diminute proces- sit. Primo, quia solum respexit ad restitutionem, et reparationem pec- cati ex parte eorum, quæ ab homine ablata sunt per peccatum, sicut est gratia, et omnia gratiæ auxilia, quæ ei facta sunt indebita; de repara- tione autem injuriæ, ut tenet se ex parte Dei offensi, nihil omnino tan- git: secundo, quia debitum carendi auxilio, est pœna, et non culpa, ne- que injuria formaliter loquendo. Sicut ipsa gratia fructificante carere non est culpa, sed pœna, et ita dicit S. Thomas quæst. xxviii de veritate, artic. vi, circa calcem corporis: « Quod absentia gratiæ secundum se considerata, habet tantum ratio- nem pœnæ, non autem rationem culpæ, nisi secundum quod relin- quitur ex actu voluntario præce- dente: » hac enim ratione inveni- mus, quod macula sit culpa, et pec- catum originale sit culpa, scilicet, secundum quod relinquitur ex actu voluntario. Cæterum ipsa carentia gratiæ, vel denegatio auxilii, est pœna. Nos autem in præsentibus non quaerimus de satisfactione pro pœna, sed pro culpa, in ratione injuriæ, et culpæ; ergo diminute procedit Vaz- quez ostendendo imperfectam satis- factionem, ex eo quod non satisfacit pro debito auxilii.

LII. Quod si dicas: Quod licet carentia auxilii sit quasi physice

pœna, sicut et carentia gratiæ, tamen ipsum debitum carendi, seu moralis carentia ex parte subjecti est culpa, contra hoc est. Tertio, quia hoc debitum, vel solvitur quantum ad hanc partem per exhibitionem physicam auxilii, vel non solvitur, sed etiam posito auxilio physice debitum manet integrum. Si dicas hoc secundum, adhuc ergo erit perfecta satisfactio, licet non solvat partem istam debiti quoad auxilium, si quidem etiam illo dato, debitum manet integrum, et nulla pars soluta. Si primum: ergo si carentia physica non erat nisi pœna, exhibitio illius physica, quando misericorditer datur a Deo, non erit nisi relevatio pœnæ, quoad illam partem: et sic quod manet remissum est pœna, et quod non potest solvere contritio, est pars pœnæ debitæ; ergo quoad debitum culpæ integre, et perfecte satisfacit: quod negare videtur Vazquez aut si non negat, nihil amplius indigemus pro hac materia, in qua agimus præcise de satisfactione culpæ.

LIII. Quarto, urgetur amplius id quod dicebamus referendo sententiam Vazquez: Nam saltem de potentia absolutio non est implicatio, quod gratia alicui homini puro tribuatur cum tanta perfectione, et eminentia per modum capitis, quod possit influere gratiam in alios, et mereri alteri de condigno primam gratiam, aut auxilium, si quidem ut S. Thomas probat infra quæst. VIII, art. V, gratia capitis in Christo est ipsamet gratia personalis, et particularis, et propter eminentiam suam, quam habet, competit ei quod possit gratiam in alios derivare. Hæc autem eminentia explicatur aliquando a D. Thoma, quod sit per modum meriti; aliquando per modum efficientiæ instrumentalis, ut in prima secundæ, quæst. CXIV, art. VI dicit, quod consistit in hoc quod ani-

ma Christi mota est per gratiam, non solum ut ipse perveniret ad gloriam, sed etiam ut alios in eam adduceret, in quantum est caput Ecclesiæ. Per modum autem efficientiæ, quæstione VIII citata artic. VI, et artic. I ad secundum.

LIV. Nusquam autem hanc eminentiam reducit ad gratiam unionis, seu divinam personalitatem, formaliter loquendo. Unde ergo est implicatio, quod similis eminentia gratiæ, non possit a Deo communicari alicui homini puro, scilicet, ut mereretur a Deo, non solum ut ipse perveniret ad gloriam, sed etiam alios in eam adduceret; debuit ergo Vazquez ostendere, quod gratia ex sua specie solum est determinata ad hoc, ut mereatur sibi, et non alteri de condigno, ita ut quantumcumque crescat, et quantumcumque eminentiam habeat, et perfectionem, non possit alteri mereri, et quod ex hoc nec solveretur ejus species: species enim gratiæ nullam contradictionem habet cum hac eminentia, quæ est mereri alteri de condigno. Neque enim hoc repugnat ipsi esse supernaturalis, nec participationis divinæ naturæ, aut filiationis adoptivæ, ex quibus potest considerari species gratiæ. Et quamdiu hoc non ostendit, non satisfacit difficultati, quare purus homo de potentia absoluta, non possit satisfacere perfecte, saltem pro peccato alterius.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

LV. Ad primum argumentum pro prima sententia respondent aliqui, qui existimant peccatum habere infinitatem simpliciter in genere injuriæ, unum peccatum esse majus alio, ex parte objecti, non ex parte divinæ majestatis, quæ offenditur. Ita Alvarez de incarnatione, disput. III ad quartum. Et in idem fere con-

sentit solutio Asturicensis ubi supra folio 308, additque [aversionem peccati, licet secundum se, et ut attingit Deum infinita sit, neque admittat magis et minus, quantum est ex se, et seorsum, ac præcise considerata, tamen ut causatur a conversione ad bonum commutabile, ab eoque dimanat, ut a causa, finita simpliciter est, et suscipit magis, et minus. Sicut tenebræ, licet secundum se, sint privatio totalis lucis, tamen per ordinem ad causam, a qua causantur, possunt esse tenebræ majores, vel minores, secundum quod a corpore magis, vel minus denso causantur.

LVI. Cæterum hoc est ponere, quod aversio peccati simpliciter, et in re finita sit; nam ut ponitur in re, semper ponitur, ut consecuta, et dependens ab aliqua conversione ad bonum; et consequenter prout ponitur in re, semper est finita, et pro illa, ut ponitur in re sufficit satisfactio finita. Sicut in tenebris, ut dependentibus ab opacitate, et densitate corporis, majori, vel minori, relinquatur semper aliquid de opposita forma, et non sunt pura, et simplex privatio; tunc autem solum tenebræ sunt pura, et simplex privatio, quando totum lumen intercluditur, sive id fiat uno, vel pluribus velaminibus; ut signanter advertit S. Thomas 1-2, quæst. LXXIII, articulo primo.

LVII. Aliter ergo ex dictis respondetur ad argumentum, quod stando in sententia probabili, quod peccatum in ratione injuriæ, sit simpliciter infinitum, adhuc potest crescere, quia non est simpliciter, id est, omnibus modis tale, sed solum simpliciter, id est, absolute tale, id est, vere, et absolute habet genus injuriæ infinitæ. Et hoc præsertim contingit in infinitate respectiva, et quæ non est absoluta in toto genere

entis, ut bene advertit Asturicensis ubi supra, et multo magis in infinitate morali, quæ dependere potest a pluribus circumstantiis, ex quarum varia comparatione diversificatur modus gravitatis injuriæ, etiam intra genus infinitæ injuriæ simpliciter. Ut enim sit infinita simpliciter, hoc est absolute, quod vere habeat genus tollendi jus infinitum, et infinitate personæ dignitatem deprimere, licet ex aliis respectibus, et circumstantiis diversificari possit, quia non est omnibus modis infinita. Simpliciter ergo infinita est, quia vere, et absolute attingit genus infinitæ injuriæ, licet non omnem modum infinitæ injuriæ. Sicut si daretur una linea infinita versus orientem non repugnaret dari aliam infinitam versus occidentem, et alias infinitas versus alias partes, et quælibet illarum esset simpliciter, id est, absolute, et vere infinita, quia haberet speciem infinitæ lineæ, non tamen esset omnibus modis infinita, quia alia, atque alia individua sub tali specie infinita containerentur, quæ diversis modis infinita essent.

LVIII. Dato autem, quod peccatum sit infinitum solum secundum quid, adhuc non habet vim argumentum, quia illa infinitas in ratione injuriæ, non est adæquabilis ab infinitate secundum quid, quam habet charitas, aut gratia, quia sunt infinitates disparatæ, neque una adæquat, quod altera tollit: infinitas enim gratiæ, et charitatis solum est infinitas ex parte finis, ad quem tendit, manente ratione formali finita, et modo attingendi, quia attingit positive tendendo in objectum infinitum, et consequenter sub modo capacitatis finitæ. Infinitas vero peccati est infinitas injuriæ lædens jus infinitum, deserendo objectum infinitum, non sub capacitate istius vel illius, sed absolute; injuria autem Dei, sive sit infinita simpliciter, sive secun-

dum quid, non resarcitur per hoc, quod habeatur pro fine ultimo ab illo, qui læsit tale jus; hoc enim debebat facere, etiamsi non læderet: sed per hoc quod sicut Persona divina per peccatum est offensa, et humiliata in jure suo, seu diminuta, ita sit aliqua Persona divina, quæ se humiliet, et diminuatur in jure suo ipsi Deo offenso. Et per hoc fit æqualitas; non autem per hoc solum, quod habeatur pro fine ultimo quantumcumque intensissime.

LIX. Ad secundum respondetur, rationem injuriæ in peccato aversionem esse, non quæcumque, sed aversionem a fine ultimo, cum morali quadam attingentia ipsius divinæ Personæ, cujus læditur jus. Et hæc talis aversio habet infinitatem in genere injuriæ, vel simpliciter, vel secundum quid, non reparabilem per gratiam, et charitatem. Itaque in peccato, sicut datur duplex conversio, scilicet ad objectum, et ad finem, id est, ad finem proximum, et ultimum; ita datur duplex quasi aversio, scilicet, a fine proximo actus boni morales, et a fine ultimo (in omni enim actu datur finis proximus, et ultimus) et quidem aversio ab objecto virtutis, seu a fine proximo, est quid simpliciter finitum, sicut et ipsum bonum quo privat, finitum est, et hoc probat argumentum; at vero aversio a fine ultimo et si fiat mediante aversione a bono morali, et ex hac parte finita sit, ut tamen est injuriosa, et tangit ipsum Deum lædendo jus ipsius, habet infinitatem hucusque explicatam, sive sit simpliciter, sive sit secundum quid finita, et non est reparabilis per actum charitatis, et gratiæ, sed per humiliationem Personæ divinæ, et infinitæ, ut declaratum est. Et quando instatur, quod est privatio formæ finitæ, conceditur, et consequenter ex parte privationis peccatum finitum est; ex par-

te tamen moralitatis injuriosæ infinitatem habet lædendo jus infinitum ut dictum est. Et quod additur de displicentia peccati, quod non displicet Deo infinite, respondetur quod eo modo, quo peccatum est infinitum displicet infinite; et eo modo quo finitum est, finite. Ex parte enim privationis morales boni, aut virtutis, displicet finite, ex parte injuriæ, displicet infinite, vel secundum quid, vel simpliciter absolute, et si non simpliciter omnibus modis. Et ideo potest crescere displicentia de peccato, sicut et ratio injuriæ.

LX. Ad tertium nego antecedens. Ad cujus probationem primam dicitur, quod honor, qui est in honorante potest dupliciter considerari. Uno modo quantum ad redditionem honoris ex parte honorantis, et sic totum, quod homo potest Deo reddere, est quid finitum, et inferius ad ipsam Dei dignitatem: alio modo quantum ad jus, quod habet Deus ut sibi reddatur ab honorante ille parvus honor, et ne dehonoretur a creatura, quod aliis verbis dici potest, quod honor, vel consideratur quantum ad id quod exhibetur, vel quantum ad rationem, et fundamentum exhibendi ex parte Dei. Si primo modo consideretur, est quid finitum; si secundo modo, est quid infinitum: sicut dominium Dei est infinitum, non ex parte rei possessæ, quæ sunt creaturæ, sed ex parte juris possidendi. Homo ergo reddendo honorem nunquam adæquat jus, quod habet Deus ut honoretur, quia ob suam infinitam excellentiam, non potest a creatura ei reddi æquale. At vero offendendo adæquat jus Dei, quia totum Deum deserit, et ei præponit creaturam in suo affectu; ad hoc autem, ut in nullius affectu, seu actione, Deus postponatur creaturæ, habet Deus jus infinitum, fundatum in excellentia infinita.

LXI. Et ex hoc solvitur secunda probatio antecedentis. Nam licet Deus dehonoretur per peccatum, non tamen recompensatur læsio ista per religionem, quia religio solum respicit cultum Dei, non vindicationem peccati; hæc enim pertinet ad pœnitentiam. Unde aliter respicit personam Dei, scilicet, non ut offensam, neque ut placandam, sed Deum primum principium, ut colendum. Non pertinet autem ad eandem virtutem, etiam inter homines, reddere honorem debitum alteri, et resarcire jus honoris ablatum; nam hoc pertinet ad justitiam, si quidem in reddendo illo honore non respicietur honor ipse, sed jus, quod læsum est in honore. Similiter ergo in Deo aliud est reddere honorem per modum cultus, quod pertinet ad religionem: aliud reddere jus læsum in honore, quod pertinet ad justitiam, vel imperfectam, ut in pœnitentia; vel perfectam, ut in Christo.

LXII. Ad confirmationem respondetur, quod si per impossibile imaginaremur Deum offendi ab altero Deo, illa esset offensa infinita, pluribus modis quam nostra, seu alio modo, scilicet ex parte conatus, et intensionis infinitæ, aut ex effectu aliquo infinito, non tamen ex hoc tollitur, quod offensa humana in ætimatione morali, et in genere injuriæ, sit simpliciter absolute infinita (ut explicatum est) imo in hac ratione injuriæ, et morales æstimationis, offensa facta ab homine, est major quam ab alio Deo facta, quia est a villiori persona, et postponit Deum creaturæ, non autem postponit Deum Deo. Unde ex hac parte esset major moraliter, licet altera esset major, quasi physice, et intensive.

LXIII. Ad argumenta pro secundo fundamento nego antecedens. Ad probationem dicimus sicut supra,

quod etiamsi gravitas peccati sit secundum quid, et gratia habeat aliquam infinitatem secundum quid, per unam tamen, non recompensatur alia, quia procedunt in diverso genere, ita quod una non ponit, quod alia tollit, sicut infinitas in genere quantitatis, non recompensatur per infinitatem in genere qualitatis, quia sunt in diverso genere. Infinitas enim peccati est infinitas in genere injuriæ lædens jus, et consequenter contemnens, et deprensens personam, cujus lædit jus, qui est Deus. At vero gratia non habet aliquid infinitum ex parte ejus, quod subjicit Deo pro tali satisfactione, sed solum ex parte ejus, cui subjicit; subjicit enim, et convertit hominem Deo, non vero aliquid divinum subjicit Deo, ut æqualitas fiat inter Deum, per offensam depressum, et læsum per injuriam, et Deum subjectum, et humiliatum, ut satisfiat injuriæ, et sic non sunt infinitates facientes recompensationem, et adæquationem; neque enim ex infinitate ejus, cui offertur, sumitur valor satisfactionis, sed ex parte ejus quod offertur.

LXIV. Itaque non est facta læsio in hoc, quod homo non sit conversus ad Deum; hoc enim præcise restituit gratia ipsi homini ad æqualitatem, sed in hoc, quod persona Dei est privata jure suo, quod habebat in actionibus humanis; et sic in affectu hominum est depressa, et diminuta jure suo postponendo illum creaturæ. Hoc autem, quod est Personam divinam diminutam esse et dehonoratam non habet æqualitatem cum hoc, quod est creaturam esse ei subjectam, et ad ipsam conversam, quod facit gratia, sed si alia Persona divina ei diminuatur, et humilietur, in hoc est æqualitas. Infinitates ergo gratiæ, et peccati non faciunt recompensationem in eodem, sed solum recompensatio fit